

patuit ex conclusionibus. Sed tamen respondeo etiam ad hoc, quod dicitur, quod nihil dicatur univoce hoc modo, quod capitur univocum, scilicet, quod “ens” dicatur univoce de substantia et accidente, licet tamen propter auctoritates, quae videntur sonare contrarie, posset concedi, quod “ens” non dicatur de substantia et accidente univoce univocatione pura et simpliciter dicta, sed univocatione, quae secum sustinet analogiam, eo quod per prius videtur dici de substantia et per posterius de accidente.

Ad secundam, “si sic, tunc nulla essent aequivoca” etc., nego consequiam, quia aliqua sunt aequivoca respectu unius et respectu illius non convenit eis una ratio, et tamen sunt univoca respectu alterius et respectu illius bene est concedendum, quod eis conveniat unum nomen et ratio eadem ab illo nomine sumpta.

Ad tertiam, “si sic, sequeretur, quod omne nomen” etc., concedo consequiam. Ad improbationem dico, quod licet accidentis non sit definitio proprie dicta, ipsius tamen bene est quaedam descriptio, qua notificatur essentia rei significatae per nomina notiora.

240

Et sic patet quaestio prima. Sequitur alia quaestio.

## Qu. 2: Utrum aliquis conceptus sit aequivocus

**C**onsequenter quaeritur, utrum aliquis sit conceptus aequivocus. Et arguitur primo, quod sic: Aliqua est vox aequivoca, igitur aliquis est conceptus aequivocus. Consequentia probatur, quia omnis vox est subordinata alicui conceptui in significando, ut patet primo Perihermeneias. Igitur omnis vox est convertibilis cum aliquo conceptu in significando. Igitur si aliqua vox est aequivoca, tunc conceptus, cui subordinatur illa vox, est aequivocus. Assumptum patet satis ex quaestione praecedenti.

Praeterea secundo: Omne, quod est repraesentativum diversorum diversis rationibus, hoc est aequivocum. Sed conceptus est huiusmodi. Igitur etc. Maior

---

Qu. 2,5 primo Perihermeneias] Cf. AL II 1–2, p. 5, lin. 4–6.

226 etiam] W om. M 227 univoce] de substantia? add. s. del. W | hoc...228 univoce] W om. M 229 sonare] W senare! M | contrarie] W opposite? (apte!) M 230 pura] W prima M | sed] de add. W 231 secum sustinet] W secundum M | analogiam] Z annoloyiam W annoloycam M | videtur] W verificatur! M | per<sup>2</sup>] W om. M 232 de] W om. M 233 tunc] W sequeretur quod M | etc] M om. W 234 sunt aequivoca] M om. W | non] W quod M 236 conveniat] W convenit M 237 nomen] M om. W 239 ipsius] W ipsorum M 240 nomina] definitiva? add. s. del. W definito add. M *An debeat legi* definite? Z 241 Et...prima] M om. W | Sequitur...quaestio<sup>2</sup>] W om. M Qu. 2,2 Consequenter] M om. W | sit conceptus] M trsp. W 5 in significando] W om. M 6 vox est<sup>2</sup>] W sunt M 9 Praeterea] M om. W | repraesentativum] W monstrativum M

W48va

230

235

240

5

10